

## PSALMI CXXX. DISPOSITIO.

*Inclamo, spero te bonum. Clamans de profundis.*

**E**s h̄ic I. gratiae imploratio: ubi [i] peri-  
culum: *de profundis*: (2) actus: *invoco*,  
v. i. (3) invocatus: *Jehova, Adonai*: v. i. 2.  
[4] petitum: *audi vocem meam*: *sunt aures tuæ  
apertæ*: v. 2. (5) Ratio: (a) *nemo, te iniquita-  
tes observante, poterit consistere*: v. 3. (b) tecum

*A condonatio, ut timearis: v. 4. (c) expecto te fer-  
vide & constanter: v. 5. 6.*

II. Aliorum excitatio & confortatio: (1) *Isra-  
ël* (2) *expecta* (3) *Dominum*: (4) ratio (a) *apud  
ipsum est gratia*, [b] & *redentio copiosa* v. 7. [c] *re-  
dimet Israëlem ex omnibus iniquitatibus suis*: v. 8.

## PSALMUS CXXX.

## EXPLICATIO VERSUS I.

**שְׁרֵךְ Canticum:**] est his penultimus psalmo-  
rum pœnitentialium, ut eosdem numerat Eccle-  
sia. Et quidem Mathes. in *Ps. CXXX. conc. 3 p. 53.*  
meminit Pastoris, sibi noti, qui Psalmum hunc ex-  
positurus, gravissimas incidit tentationes, pon-  
derata scilicet verborum rerumque h̄ic tractata-  
rum gravitate, forsas loquitur de seipso.

**מִתַּעַדְךָ è profundis:**] i.e. ex angustiis ma-  
ximis, ipsamque mortem secum vehentibus, qua-  
les solent esse apud naufragos, aut è navi in pro-  
fundas maris, stagni, fluviique aquas prolapsos,  
qui pedem nusquam possunt figere, sed membris  
omnibus luctando magis magisque pessundant  
vires, adeoque mortem vident præ oculis, labiis-  
que velut eam gustant. Vide, quæ dicta sunt,  
*Psalm. LXIX, 3. veni בְּמַעֲקֵרִים aquarum, v. 15. eripe  
me de luto, ne infigar, eripiar ab osoribus meis  
וּמַעֲקֵרִים aquarum. item Psal. XLII, 8. abyssus a-  
byssum invocat. adde sis Dorsch. 1. 1. theol. Zab. p.  
277.* Has ipsas verò profunditates nil denotare  
aliud, quam peccatorum, pœnarumque iis pro-  
meritarum voraginem exitialem, horrendam ac  
imperscrutabilem, è qua quis propriis emergere  
nequit viribus, colligitur ex v. 3. & 8. ubi de ini-  
quatum copia ac gravitate, nec non ex v. 5. 6. 7.  
ubi de liberatione, anxiè expectata, quæ sanè mi-  
ferias omnis generis præsupponit. De hoc ipso  
peccatorum gurgite pulchrè *Augustinus* h. l. Adeo-  
que minus congruè scholia græca (apud Muis:)  
*ex imo corde, exponunt. Aben Esra & Kimchi de ca-  
ptivitate: quod tamen à sequenti peccatorum an-  
xietate alienum, aut saltem angustum nimis. Me-  
lius R. Jose B. Hanina in Midrasch. h. l. observat: ho-  
minem in loco alio (i.e. prosperis gaudentem suc-  
cessibus,) orare nunquam, tanto scilicet ardore,  
ut decebat confer Perkin. lib. 2. cas. cons. p. 160. Syrus  
in edit. Angl. & Parif. habet: de Nebemia duce; & pre-  
catio inibi martyrum. addidit id sine dubio christia-  
nus aliquis X persecutionibus psalmum hunc ac-  
commodatum censens. Muis annotat, more eccle-  
siæ receptum, ut qui publicè pœnitentes, ecclesiæ  
reconciliabantur, hunc canerent Psalmum unum  
cum reliquis pœnitentialibus; item pro defun-  
ctis, qui in pœnis purgatoriis fortè detinentur. De  
quibus defunctis etiam *Genebrardus & Bellarminus*.  
verum opponi potest *Cyprianus* l. 4. epist. 2. in fine;  
quod apud inferos confessio non sit &c.*

**קְרָהָרֶיךָ vocavi vel inclamavite:**) h. e. pre-  
ces fudi flebiles, anxias, continuas, summeque  
ferias; imo non tantum fudi, sed fundo etiam,  
huc usque, donec præsentem tuam video exau-  
ditionem, vers. 2. Prateritum pro præsente ob-  
actum continuum, vers. 26. De verbo קְרָא clama-

*vit, vocavit, dicitur passim, quomodo eodem com-  
prehendatur invocationis ardor, intensio, in-  
stantia, &c.*

## EXPLICATIO VERSUS II.

**שְׁמֻנָה audi vocem meam:**) ita scilicet, ut au-  
ditionem comitetur exauditio, *audi*, ut quodam-  
modo *Obedias*, vel voci meæ obsecranti morem ge-  
ras; ita namque שְׁמֻנָה sequente [ב] constructum,  
offensum & obsequium solet exprimere, quo quis vel  
mandanti superiori, vel obsecranti inferiori, se  
præbet facilem, dictisque auditis concedit locum,  
ceu patet ex *Gen. XXI, 12. שְׁמֻנָה בְּקֹלִי* obtempera  
voci ejus [ *Saræ* ] c. XXVII, 13. שְׁמֻנָה בְּקֹלִי Re-  
becca ad Jacobum ) *Exod. XVIII, 19. שְׁמֻנָה בְּקֹלִי* &  
consulam tibi, (Jethro ad Mosen. ) *Jer. XXXVIII,*  
20. obtempera voci *Jehovæ: Gen. XXX. 6. [Rachel:]*  
*שְׁמֻנָה בְּקֹלִי* deditque mihi filium Deus &c.

**קְשֻׁבוֹת apertæ sunt aures tuæ:**) paulò mu-  
tatis verbis repetitur res eadem, ad exprimen-  
dum eò magis anxiū & impatiens veluti cor-  
dis desiderium, cui semel rem dixisse non sufficit,  
sed quod indesinenter querelas ingeminat, ver-  
bis quandoque molestis. Nomen קְשֻׁבוֹת (a) קְשֻׁבוֹת  
auscultavit, *Psalm. LXVI, 19. Prov. I, 24. &c.* ] non  
nisi bis adhuc legitur, 2. *Par. VI, 40.* fint, quofo  
Domine, oculi tui aperti, & aures tuæ קְשֻׁבוֹת ad  
orationem in loco isto: c. VII, 15. nunc oculi mei  
erunt aperti, & aures meæ קְשֻׁבוֹת ad orationem  
loci istius.

**תְּחִנָּנוּ deprecationum mearum:**) i.e. ad vo-  
cem meam fleibilem, vel secundum Campensem:  
*ad lamentabiles precationes meas.* Cum membrō pro-  
ximè præcedente meminisset solum קְולׁ וּocis, ad-  
dit nunc adjunctum תְּחִנָּנוּ supplicationum lamen-  
tabilium, quod non sit nudus impatientis ejula-  
tus, sed submissa fiducialisque gratiæ simul im-  
ploratio, uti eam vocis emphasi notavimus *Prov.*  
XVIII, 23. Vide supra *Psalm. XXVIII, 2. 6. XXXI, 23.*  
*CXVI, 1. LXXXVI, 6.*

## EXPLICATIO VERSUS III.

**תְּשַׁמֵּר si scelerum, quæ admisimus, perpetuo  
memor esse volueris:**) & veluti reposita apud  
te servare. ita *Campensis.* Removere his ver-  
bis vult auxiliū implorati obstaculum, demer-  
itorum videlicet insignium ac multiplicium co-  
piam, adeoque sic velut argumentatur; quod-  
cunque neminem hominum coram te permit-  
tit stare, [sive, quod omnes atque singulos con-  
demnationi adjudicat,] id crude adeo & absolu-  
te de te benignissimò Patre præsumendum non  
est; atqui rigida iniquatum omnium xstimator  
neminem hominum &c: Ergo. Lutherus olim:  
so du